



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

29. Ex Concilio Rotomagensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

lumniam ingesserit , à liminibus sanctæ Eccle-
siæ arceatur usque ad condignam satisfactio-
nem.

Ex Concilio Rotomagensi.

XXIX. *Capitulum manuscripto nostro
deest.*

De demigrantia Clericorum.

XXX. Cùm fraternitatem tuam confida-
mus canonum statuta & vigorem dirigere dis-
cipline , hoc tibi indagandum mandare cura-
vimus , ne ingenui Clerici , qui capacioris &
argutioris sunt ingenij , ad loca quæ scientia &
doctrina excellentiora conspicuntur , discendi
(ditescendi) gratia præ (nisi habita) utilitate
Ecclesiæ suique necessarij petendi causa trans-
cendant.

Invidia Pontificum sæpe prohibentur , dum
c. xx. Chalcedonensis Concilij eis opponunt ,
ubi dicitur Clericos in Ecclesia administrantes
in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non
oportet , & sequentia invida obfuscatione abo-
lent , ubi illi excipiuntur qui ex necessitate ad
aliam Ecclesiam transferint . Magna sanè ne-
cessitate premitur qui fame constringitur ; &
qui injuria arctatur insipientiæ , opus habet
refici doctrina scientiæ . Inter fugitivum deni-
que & studiosum cautè ab Episcopo discretio
ne prospici debet , ut ille locum delitescendi non
inveniat , isti vero locum in melius mutare &
ire de virtute in virtutem offendiculum non
opponatur , sed caritatis adjutorio , quæ nun-
quam excidit , sublevetur . Igitur si pie & justè